

P E N B R O K - S H I R E .

NAm in Austrum mare se reflectens, & ingenti ambitu, variisque recessibus littora incurvans, Comitatum Penbrochensem, vulgo *Penbrokshire*, qui in antiquis tabulis *Legalis Comitatus Penbrochia*, & nonnullis *Vest-Wales* nominatur, undique urget, nisi ab Ortu, qua ager Maridunensis, & ab Aquilone, qua pars Cereticæ obtenditur. Regio frugibus ferax, pecudibus inprimis repleta, & ad fecunditatem marga, & id genus terræ adipe, ut etiam carbone fossili abundans. *Terra hæc, ut inquit Giraldu, triticea est, marinis piscibus, vinoque venali copiose referta, & quod omnibus præstat, ex Hiberniæ confinio aeris salubritate temperata.*

Primum in littore ad Austrum descendente *Tenby* elegans oppidum mœnibus firmum è siccitate rupe mare despicit, navium statione, & piscium copia admodum celebre, unde Britannice *Tenby-y-piscoid* denominatur, & pro Magistratu *Majorem* habet & *Ballivum*. Inde in Occasum reducto littore tenues apparent reliquiæ castri *Manober*, quod *Pyrrhi* mansionem vocat Giraldu, cujus tempore, ut ipse prodit, *turribus & propugnaculis erat eximium, ab Occidente portum extensum, a Circio & Borea, sub ipsis muralibus vivarium habens egregium, tam sui venustate, quam aquarum profunditate conspicuum.*

Continuum non multis hinc præcurrit milliaribus littus, tandemque submovens utrinque terram longe invehitur mare, & portum efficit, quem *Milford haven* Angli vocant, quo non alter est in Europa aut nobilior, aut tutior, tot angulos recessibus, tot portuosus stationibus distinguitur, quibus, ut fibris, ripæ undique sunt incisæ, & ut *Poëtæ* verbis utar:

*His exarmatum terris cingentibus aquor
Clauditur, & placidam discit servare quietem.*

Numerat enim (ut nauticis verbis & distinctionibus utar) *Crekas XVI, Bajas V, & Rodas XIIII*, suis seorsim nominibus cognitatis. Nec hac securitate magis celebris hic portus, quam quod fecelicissimæ memoriæ *Henricus Septimus* in eodem appulsus, Angliæ jam intestinis malis elanguescenti signum ad bene sperandum hinc sustulerit. Ad interiorem Orientalemque hujus portus sinum, in agro totius *VWalliæ* amœnissimo, principale provinciæ municipium, *Dimetiaque* caput (Giraldu legis) in saxosa quadam & oblonga rupis eminentia situm, lingua marina de *Milverdico* portu profliens in capite bifurco complectitur, unde Britannis *Penbro* dicitur, quod caput marinum sonat, & nobis *Penbroke*. Primus hoc castrum *Arnulphus* de *Montgomery*, frater *Roberti* Comitæ *Salopiæ*, sub *Anglorum* Rege *Henrico* Primo, ex *virgis & cespitibus* tenuis satis, & exile construxit, quod postmodo in *Angliam* revertens viro prudenti *Giraldo* de *Windsora* Constabulario suo primipiloque cum paucis custodiendum exposuit, nec mora, totius *VWalliæ* Australis *Cambrenses* castrum obsidione cinxerunt. Sed ita animis, magis quam viribus, *Giraldu* cum suis resistebat, ut illi irritò incepto regre-

derentur. Castrum postea, ut etiam oppidum, munivit *Giraldu* ille, unde circumvicinas regiones late persultabat, demumque, ut res sua, & suorum commodius his regionibus adolesceret, *Nestam* *Gruffini* Principis sororem sibi in matrimonium adjunxit, ex qua egregiam suscepit prolem, per quam (ut inquit *Giraldu* ille ex eo oriundus) *Angliæ & Australis Cambriæ maritima sunt reverta, & Hiberniæ mœnia sunt expugnata.* Omnes enim illæ nobiles *Giraldorum*, sive *Giraldinorum*, quos *Fitz-Geraldi* vocant, in *Hiberniæ* familiæ, ab hoc *Giraldo* genus deducunt suum. *Ratione tenuitatis hujus castri & villæ, castri & villæ Tinbigh Grangie de Kingeswood, Commoti de Croytarath, & Manerii de Castle-Martin & Tregiore, Reginaldu* *Grey* in coronatione *Henrici* *Quarti* petivit portare secundum gladium; sed frustra, cum responsum fuisset, quod eo tempore castra illa & prædia in Regis essent manu, ut adhuc *Penbrochia* oppidum est, quæ incorporata suum habet *Majorem*, & *Ballivos*.

Ad alterum etiam hujus portus sinum *Carew Castle* cernitur, quod & nomen & originem inclytæ familiæ de *Carew* dedit, qui se prius de *Montgomery* dictos asserunt, & ab *Arnulpho* illo de *Montgomery*, quem modo dixi, prognatos credunt.

Influunt hunc portum conjunctis fere ostiis flumina duo, quæ *Gledawh* *Britanni* vocant, id est, si interpreteris, *gladii*, unde *Aberdugledbau*, id est, *Duorum gladiorum portum*, ipsi appellitant. Ad quorum Orientaliorem *Slebach* sedet * *Præceptoriam* quondam *Militum* *S. Joannis Hierosolymis*, quam sacro illi ordini *Wizo & Walterus* ejus filius, ut Deo militarent ad terram sanctam recuperandam, olim cum aliis prædiis elargiti erant. Partem illam hujus regionis quæ ultra portum jacet, & his solis fluminibus perfunditur, *Rostiam* sive *Ros* dicunt *Britanni*, factò è re nomine, quod viridante procumbat planitie.

Flandri è *Belgio* hanc incolunt, qui *Henrici* *Flandri* in *Walliæ* Primi permissu huc commigrarunt, cum Oceanus ruptis aggeribus magnam *Belgiæ* partem obruisset. Lingua & moribus etiamnum à *Wallis* dignoscuntur, & ita ejusdem linguæ societate cum *Anglis* conjuncti sunt, qui ad *Belgicam* linguam proxime accedunt, ut hæc eorum regiuncula à *Britannis* *Angliæ Transwallina* nuncupetur. *Gens* hæc, ut inquit *Giraldu*, fortis & robusta; continuoque belli consuetu gens *Cambrensis* inimicissima, gens *lanificiis*, gens *mercimoniis* usitata, quocumque labore sive periculo, terra marique lucrum querere. *Gens* prævalida vicissim loco & tempore, nunc ad aratra, nunc ad arma gens promptissima. Et ut hoc addam, *Gens* *Anglorum* regibus devotissima, *Angliisque* fidiissima, & quæ *Giraldu* tempore, *Extispicinam* ad miraculum usque calluit, eorumque opus, ut gens est gnave industria, hic conspicitur via *Flandrica* longo tractu perducta. *Walli* collatis sæpe in unum omnibus viribus, dum hanc vetustæ eorum ditionis regionem repeterent, in hos *Flandrenses* irruerunt, effusisque populationibus eorum fines peragrarunt, paratissimo tamen animo illi fortunas,

Origo familiæ Giraldorum in Hibernia.

Rotulus Servitorum.

Manober Castle.

Milford haven.

Penbroke.

Gledawh.

Slebach * A Com-mandery.

Little England beyond Wales.